



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 48. Guisius Dux Lutetiam Parisiorum delatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

nari, quam precari videretur, pœ- Sæcul. XVI.
 nas sumi postulabat: Verum a Navar- A.C. 1562.
 ræ Rege responsum, quod Calvinistæ
 primi seditioni caussam dedissent, cum
 armati Vassiacensem conventum habuis-
 sent, violantes edictum Mensis Januario
 promulgatum, vi cuius arma in cæti-
 bus deferre severe prohibebantur: at Be-
 za hæc reposuit: „dum viri prudentes
 „arma gestant, secum pacis securitatem
 „afferunt.“ Nec his contentus, adver-
 sus Ducas vitam minas quoque evo-
 muisse dicitur, quas etiam postea inhu-
 mana crudelitate executus est.

§. XLVIII.

Guisius Dux Lutetiam Pariforum delatus.

Cum hæc interea gererentur, Guisius Thuan. l.c.
 Dux haud salutato Rege Parisos
 venit, & quamvis Regina comperto Vaf-
 siaciensi tumultu nullum non movisset
 lapidem, ut Ducem præpediret, ne Au-
 lam, imo nequidem hanc Metropolim
 adiret, nihilominus per Sancti Dionysii
 portam urbem ingrediebatur, comitan-
 tibus eum Montmorentio Connestabili,
 Aumalio Duce ejus fratre, & San-an-
 dreano Marescallo. Adventanti obviam
 ibant Mercatorum Præfectus, urbisque
 ædiles, populus vero festiva voce ubique
 clamabat: *Vivat Guisius:* id vero Regi-
na

Sæcul. XVI. na iniquo ferebat animo, quid consiliū
A.C. 1562. caperet, ignara; cum enim vereretur,
 ne Triumviri sub veræ Religionis con-
 tra sectarios vindicandæ prætextu
 summum quoque imperium, cuius ipsa
 maximopere tenax erat, sibi arrogarent,
 & Regem, ipsamque captam abduce-
 rent, hinc Regem, semetipsam ejus Ma-
 trem, liberos, atque universum Regnum
 Condæo Principi commendabat, eum
 saepius hortata, ut hostium suorum co-
 natus totis viribus impediret, quam in
 rem ut majorem enixaë suæ voluntatis,
 ac fiduciæ in eum repositæ fidem ei te-
 statam redderet, plures ad illum lite-
 ras dabat, clam tamen id faciebat, ut
 promotæ spuriæ Religionis calumniam
 a se amoveret, nec Nobilium, populique
 invidia prævalente, Regni administra-
 tionem amitteret.

§. XLIX.

*Regina unacum Filio suo Rege Me-
 lodunum profuga.*

Thuan. l. 29. Interim Regina haud parum verita, ne
 Condæus Princeps confidentiam in-
 cautius testamat in rem suam verteret,
 suæ securitati consulere, ac Regem ab-
 ducere toto conatu moliebatur, ne
 Triumviri subolentes, quod illa se se Con-
 dæi Principis præsidio committere mo-
 liretur, eam prævenirent, captamque
 abstra-